Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1083
Quelle:
Copyright:

ſuo *Lapo Birago de Caſtellione* Sec. XV. Scriptore confundatur. In *Fabricii Bibl. med. et inf. Lat.* omnia nebuloſa ſunt, neque multum lucis affudit *Manſius*, utut *Italus*.

CCXCI. VI. E. 2.

290 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 280. f. luculente ſcriptus et rubricis ornatus complectitur *Bernardinum*, ſive *Flores* ex S. *Bernardi Claraevallenſis* Abb. Operibus, non quidem omnibus genuinis illis, lectos circa an. 1240. a *Guillelmo* ſeu *Willermo S. Martini Tornacenſis* Monacho, ut poſt *Ant. Sanderum* in *Cat. Codd. Belg.* p. 141. *Val. Andream*, et *Franc. Sweertium Mabillonius* cum T. I. *Analect.* edit. nov. p. 132. tum in *Praef. Opp. Bernardi. Pariſ.* 1690. f. patefecit; Editiones enim, ſive illa, quae *ſ. l.* et *a.* ſed *Norimbergae* ex Offic. *Henr. Rumel*, *Joh. Senſenſchmid* &c. circa an. 1472. f. prodiit, ſive *Pariſina* 1499. et *Lugdunenſis* 1556. 8. nomen Compilatoris tacent. Praefationis initium eſt: *Cum non eſſem alicui exercicio magnopere occupatus? placuit mihi ut opuſcula uiri illuſtriſſimi beati Bernhardi clareuallenſis egregij abbatis! diligenter inſpiciendo percurrerem* &c. Mox οἰκονομιαν operis exhibet: *Primus liber tractat de deo patre et filio et ſpiritu ſancto? ſecundus de homine et anima? tercius de prelatis? quartus de clericis et monachis? quintus de uirtutibus. ſextus de uicijs. quatuor ſequentes libri uidelicet. ſeptimus. et Octauus. nonus et decimus. de quibusdam diſtinctionibus multum utilibus loquuntur.* Libri porro hi in Capita abeunt, quorum Elenchus Libris ſingulis praemiſſus eſt. Ad finem Ultimi: *Incipiunt Capitula excerptorum de dictis. S. Bernhardi in laudem glorioſe uirginis marie.* Sunt numero VI. in quorum calce legitur colore viridi:

Qui ſcripſit ſcripta manus eius ſit benedicta.

Probe diſtinguendum eſt *Florilegium* iſtud, quo ſe *Mabillonius Praef. cit.* opportune uſum fuiſſe teſtatur ad internoſcendos genuinos *Bernardi* Sermones, a gemino alio breviore alphabetico, quorum Prius prodiit *Pariſiis* a. 1503. Alterum ab *Huberto Scuteputaeo* Can. Reg. confectum eſt a. 1571. et in Editiones *Bernardi* intruſum. Atque iſtud quidem *Mabillonio* non probatum.

Codicem ambiunt Laciniae *Necrologii* cujusdam Sec. XIII. et XIV. quod ad Coenobium aliquod *interioris Auſtriae* pertinuiſſe videtur. In iis praeter Monachorum nomina legitur: *Otto Mordax. Vlricus de Perenſtain. Jans de hierzek*, *Rugerus* et *Leukardis de planchenwart*, *Sophia ſoror mordacum*, *Vlricus de laz*, *Dominus Hermannus De Stubenberch Prepoſitus Frieſacenſis* (in Carinthia)